

„ indebitam gratitudinem vestram , justitiae favo-  
 „ re , nostrorum favebit & clamantium ad cœ-  
 „ lum oppressorum subditorum vestrorum , quibus  
 „ non compati certe non possumus , voces exau-  
 „ diet . Datum &c. „

Verum est tamen , quod præscripta littera diffida-  
 tionis scripta fuit in M. CCC. LXXXVIII. &  
 ante præscriptionem ipsius idem Dominus Comes  
 Virtutum , Dominus Mediolani , confederatus erat  
 cum Ducali Dominio Venetiarum . Qui Veneti jam  
 ad principium nostræ guerræ confederati erant  
 cum Utinenibus , & eorum colligatis : & nos de  
 Maniaco cum ipsis . Et antequam confederatio-  
 nem fecerunt cum ipso Domino Comite Virtutum ,  
 fecerunt cum certis pactis pro Utinenibus  
& eorum colligatis , sicut inferius in tenore litterarum  
 ipsorum Utinenium missarum describetur in  
 fine . Post ipsius vero diffidationis terminum , ipse  
 Dominus Comes Virtutum suas gentes misit con-  
 tra ipsius Domini Padua potentiam . Tunc dimis-  
 so D. Franciso Novello ejus filio in Civitate Padua , idem D. Franciscus Senior ivit in Tervisio :  
 ibique moram dicens , & subveniente Virgine Ma-  
 ria Domino Comiti prædicto , qui bonum animum  
 habebat Ecclesie Aquileensi & habuit , quæ per  
 potentiam Domini Padua fuerat destructa , dero-  
 bata , & despoliata , & monumenta D.D. Patriar-  
 charum præteriorum Pastorum ipsius benedictæ  
 Ecclesiæ , suffragio ipsius Dominae nostræ gratio-  
 fissimæ , quæ non relinquit sperantes in ea , mira-  
 culum ob peccatum ipsius Domini Padua in brevi  
 sermone concludens : Paduanum cum suis Terris ,  
 Castris , Oppidis , Fortiliciis , Villis , & Jurisdictionibus  
 perdidit : ac etiam Tervisium similiter cum  
 suis Castris , & Fortiliciis perdidit de mense Octo-  
 bris die . . . . Et nota , quod ipse D. Franciscus ,  
 recepta ei Civitate Tervisii per Cives Terræ , sti-  
 pendiarii se cum ipso Domino introduxerunt in  
 Castro , quod est in Civitate Tervisii , & Cives  
 fecerunt nomine Ducalis Dominii . Ipse vero de-  
 dit ipsum Castrum cum omnibus aliis Castris &  
 Fortiliciis Domino Comiti , & posuit se gratiæ  
 Domini Comitis . Quos duci fecit in sua Civitate ,  
 quæ nominatur Comum ; pulchra Civitas de-  
 super Mediolanum . Quos in eadem Civitate cap-  
 tivatos retinuit . Et de suis carceribus exivit ipse  
 D. Franciscus Novellus , qui postmodum Paduanum  
 recepit in M. CCC. XC. in fine Junii .

Sed redeundo ad Dominum nostrum Reverendissimum D. Joannem Patriarcham prædictum ,  
 misit in Patria Forojulii de Maii (a) quendam  
 suum Militem , Magnificum virum , magnæ hominum  
 staturæ , in ætate bene annorum LX. in  
 suum Mareschalcum : & applicuit in Glemonam ,  
& noluit intrare Utinum , nec aliam Terram pa-  
 triæ ; ibique moram trahens habitavit usque ad  
 Domini Patriarchæ adventum . Cui Domino Mar-  
 eschalco , nomine D. Nicolaus de Buch Bohemus ,  
 nomine ipsius Domini Patriarchæ ipse Dominus  
 Padua dari fecit omnia Fortilicia , quæ recuperaverat  
 in Forojulii , & in se habebat : in quibus  
 suos posuit , Capitaneum , & Officiales . Et in  
 Savorgnanum intravit Franciscus Nascinguerræ de  
 Civitate Austria , dicens illum locum suum esse , &  
 fuisse suorum Antecessorum .

Dominus Patriarcha male informatus contra U-  
 tinenses , & specialiter contra D. Fredericum Mi-  
 litem de Savorgnano , partem Civitatensium cepit .  
 Finaliter venit in Utino , & ostendit se velle Con-  
 filium Utini transmutare : & sic fecit , & deputavit  
 quosdam ribaldos artifices num. XII. ad regi-  
 men Terræ Utini . Partes erant inter cives Terræ

(a) Anno 1388.

magnæ , unde ipsum D. Fredericum Militem mul-  
 tum cepit odio . Hoc totum dicebatur facere in-  
 ductu Domini Padua , qui nondum Terras perdi-  
 derat , & inductu Civitatensium . Domina Elisabetha  
 relicta olim Nobilis D. Francisci , patris ip-  
 sius D. Frederici , ejus neverca , lamentabatur Do-  
 mino Patriarchæ contra ipsum D. Fredericum : ex  
 quo ipse D. Fredericus secessit in Castro suo Pin-  
 zani , non audens in Utino moram ducere . Do-  
 mina Elisabetha prædicta habebat in Curia Domini  
 Patriarchæ quendam Militem suum consanguineum , una cum ea instantem Domino Patriarchæ .  
 Eidem Domino contra ipsum D. Fredericum pe-  
 tebat ipsa Domina ipsi D. Frederico , tanquam  
 hæredi Dominorum Francisci & Hectoris ejus fi-  
 liorum & dicti olim D. Francisci Militis patris  
 dicti Frederici , partem eorum tangentem de hæ-  
 reditate paterna dicti olim D. Francisci ejus Viri .  
 D. Fredericus videns , Dominum Patriarcham in-  
 dignatum contra eum , contentus erat ut ipsa qua-  
 stio determinaretur per modum judicij & in ter-  
 minis coram suo Vicario , & in judicio vel in Bo-  
 nonia aut Parisio in puncto juris : si in aliquo ei-  
 dem teneretur secundum determinationem judicij  
 sui , vel Sapientum , sic facere non recusabat . Con-  
 tra quem Dominus Patriarcha prædictus sæpe in  
 Terra Utini arrengum fieri fecit .

Finaliter uno die fecit capi quendam civem , no-  
 mine Dethalmus de Andreottis de Utino , homi-  
 nem antiquum , ætatis annorum fere LXX. qui  
 semper amator & defensator extiterat domus Sa-  
 vorgnanorum : nunc autem contrarius ipsius D. Fre-  
 derici , qui quendam , nomine . . . . suum inimi-  
 cum interfecerat de Soldonieris super Dominio Do-  
 minorum Ducum Austriae , prope villam Curiæ  
 Naonis . Erant circumcirca XXX. anni , de cuius  
 obitu litteras absolutionis habebat a Dominis Du-  
 cibus Austriae , a Dominis præteritis Patriarchis ,  
& pacem cum ejus inimicis . His omnibus non ob-  
 stantibus , poni eum jussit in manibus novorum  
 Rectorum iniquorum ; inter quos erant Platusius  
 Speronarius , & Christophorus Missulinus Notari-  
 ius , inimici Dethalmi , ipsumque acerrime tor-  
 mentantes . Ipsumque Dethalum duci fecerunt  
 subito ad judicium in platea Utini . Et crida facta  
 fuit , ut in poena Ducatorum ducentorum nullus  
 sua verba facere ausus esset . Et Domino stante  
 ad fenestras Castræ , gentes sua in platea armatae ;  
 Martinus Thomalini sententiam protulit contra  
 eum , debere decapitari . Sed Nicolas q. s. Gabrie-  
 lis sententiam protulit , quod nec eum condemna-  
 bat , nec eum absolvebat . Ipse vero Dethalmus  
 propter torturam sibi datam non poterat pedestre ,  
 sed portabatur super una cathedra : ibique  
 stans , nullus ausus fuit suum verbum fecisse , sed  
 ipse solus vix loqui potens ex nimia tortura pe-  
 tebat , & requirebat sua jura absolutionis audiri  
 debere . Nihilum ei valebat , jura ejus nec value-  
 runt ; quia deportatus super cathedra , illico fuit  
 decapitatus . Qui si stetisset in dilectione ipsius D.  
 Federici , non sic factum foret de eo : imo factus  
 erat de familia dicti Domini Patriarchæ , duobus  
 diebus ante habens ejus litteram familiaritatis . Et  
 detruncato ei capite , ultra horam stetit in capsæ ;  
 quare Dominus Patriarcha habere voluit ab eo-  
 dem pro incertis libras mille solidorum , quas  
 habuit .

Post hæc dum Dominus Patriarcha esset in cœ-  
 nis , misit in Civitate Utini pro quodam divite ,  
 nomine Nicolaus Manini ; qui totus erat intimus  
 amicus , & dilectus D. Federici , qui subito ascen-  
 dens Castrum , ivit ad præsentiam ipsius Domini :  
& sic jussit retineri , usquequo cœnasset . Exivit  
 unus ,